

ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſaria. Sunt autem quaſi materia huius Sacramenti ipſius penitentiſ actus, nempe Cōtritiō, Confefſio, & Satisfactio. Qui quatenus in penitente ad integritatem Sacramēti, ad plenamquē, & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione Penitentiæ partes dicuntur. Et ꝑ effectus huius Sacramenti, quantum ad eius vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio eſt cum Deo, quā interdum in viris pijs, & cum deuotione hoc Sacramentum percipientibus, conſcientiæ pax, ac ſerenitas cum vehementi ſpiritus conſolatione conſequi ſolet. Et vltra hæc debet ſcire curatus conditiones neceſſarias ad Confefſionem ſcilicet illas quæ annullant Confefſionem ſacramentalem. De quibus Caie. verbo Confefſio, & §. Confefſio iteranda. Et Nauarro cap. 9. num. 1. 2. Frater Emanuel. 1. p. Summę. ca. 58. & de conditionibus Confefſionis, cap. 51. & Nauarro cap. 2. ¶ Item, ꝑ debet penitens dicere numerum peccatorum mortalium, eo modo quo ſciuerit, & quiuerit, & ſpecies peccatorum mortalium communes. Pro quo vide Conc. Triden. Seſſ. 14. cap. 5.